

ctum non veniant. Rondeletio Major Oxyrinchus minori similis est, alis amplis et extrusis, ipso corpore strictiore, acutiorque dorso longiore. *Aculeorum* in sola cauda unicum habet ordinem. Pelagii sunt: Ovidio boves; in coenosis locis degunt Oppiano; Aeliano in lutosis gignuntur. Piscibus *vescuntur*, sed humum maxime appetunt. *Pariunt* statim *f* animal. Corpore etsi sint magno, ideo quibusdam inter Cetaceos, imbelli tamen, mollitie conscii, sola corporis mole feruntur, sic et piscantes pondere suo opprimunt, et capti, renituntur. Carne sunt quam caeterae molliore, et sale fumoque conditi exsiccantur, exsiccati diu incorrupti remanent.

e Ovid. in
Halieut.

f Arist. H.
A. l. 6. c. 12.

TAB. X. 9.

TAB. XII. 7.

OXYRINCHUS Minor corpore est maximo, et maculis multis lentis specie, notatur. *Dentes* habet in os vergentes. Ad oculos quatuor aculeos; in cauda tres eorum ordinis, diversos et inaequales; primus medii ordinis major est secundo, tertius

primo, quartus secundo respondet. Utrique per transversum recti sunt, ad latera converfi, qui per hos sequuntur in cauda extremi, in caput recurvantur. In supina parte rostri, alii sunt ad capiendos pisces recurvi, alii acutiores. Caeteris partibus cum reliquis conveniunt. Ad Oxyrinchos referri debet ille, quem Gesnerus Venetiis accepit, corpore cinereo, maculis distinguētibz fuscis, ambitu corporis subrufo, Normannis Hal, Lusitanis Huga dictus.

Iconem hic vide.

RAIA STELLARIS laevis, TAB. X. 7. Graecis Asterias, quam Gellius Rajam oculatam esse vult, capite, dorso, et cauda ab aliis distinguitur. Dorsi pars prona alaeque expansae, stellulis, eleganter, depictae conspiciuntur. Aculei in eodem mox a capite incipientes, in priorem caudae pinnulam desinunt. *Caput*, quia crassius et latius, Pastinacae quam aliis Rajis similis est. Cauda tenuis, et quam reliquis brevior.

PUNCTUM VII.

De Rajis Asperis: et in specie de Raja aspera Stellari, Oculata, et Clavata.

TAB. X. 4. 5.
6. 7.

TAB. XI. 2.
3. 4. 5.

RAJA ASPERA STELLARIS tota aculeis horret. In oculorum intervallo multi sunt, breves, frequentes, peracuti: in medii dorsi linea alii magni, in cauda tres magnorum ordines, alii plurimis et minoribus distincti, infiniti alii sine ordine per totum corpus resperguntur, pro *dentibus* ossa dura et aspera gerit. Duae hujus generis esse videntur. Una quae stellulas habet in medio albas, sed quas ambit circulus ex nigris punctis constans, totumque corpus aculeis horridum est. *Altera*, stellulas prorsus candidas, cum multo paucioribus aculeis obtinet.

OCULATA laevi maculis similis est. *Aculeos* in alis extensis e regione macularum utrinque habet, alios in lateribus capitis utrinque, alios in dorso, in cauda, majores, frequentiores, et validiores visuntur.

RAJA CLAVATA duplex est. Una quam Massilienses Clavade, Galli alii Raje bouclier vocant. Corporis specie reliquis est similis, sed multo brevior minusque acuto, etc. Colore nigricante, alis valde expansis. *Hepar* habet flavescens in duas partes dissectum, in quo vesica, *fel* aqueum et tenue continens. Pingue est illud, et inter cibos delicatissimos, in oleum resolutum, hepatis duritiem resolvit. Carne est durum. Possit Aquilae conferri.

Altera a superiore differt (Verba sunt Rondeletii, cui multas Rajarum species debemus,) etc. Congener hisce est et illa. Cujus icon Venetiis ad Gesnerum missa est. Maculis distinguitur fuscis, reliquum, corpus obscure subluteum est, reliqua apparent.